UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. 10. Effusa Martyrum etiam in torme[n]tis lætitia, atque exultatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-49140

Visual Library

cum Gentili etiã Chriſtianus, merito cõfundamur. *Si reformidauerimus pati pro veritate in ſalutem, quæ alÿ affectauerunt pro vanitate in perditionem.*

---

## §. 10.

*Effuſa Martyrum etiam in tormentis lætitia, atque exultatio.*

PRocopius inuictus Chriſti pugil Mutio illo longè ſuperior thus manu accipere, illudq; ſubiectis prunis ardẽtibus ſuſtinere iuſſus, vt ſi fortè dolore victus dextrã inuertiſſet iniectis in ignem ſuffitibus, Dijs litaſſe videretur. Ea tyranni vis, ac dolus fuit, quem probè eluſit vir ſanctus, manum quippe immotam lento igne aduri paſſus, ne qua maledicentiæ daretur occaſio: ac ne vox, ne animus deeſſe vi-

deretur, interea dum arderet, ſtillaretq́; manus, accinebat illud Dauidis. *Tenuiſti manum dexterā meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.*

Has inter voces, ſacrumq́; cantum, fortè Procopio ex oculis lacrymula decidit, & molli lapſu genas irrigauit, quam vt vidit Pręſes, ratus euicti iam animi, & doloribus cedentis indicium eſſe, non ſine ſcommate petulantius illud ipſum obijcere cœpit: cui glorioſus Chriſti Martyr, etiam in tormentis ludere doctus, *nec mirum eſt*, inquit, *etiam lutum cum igni admouetur, ſudat*; quaſi diceret: corpus hoc mortale quod circumfero, mihi pro luto, quod cum aqueo humore compactū, ſit, quid adeo mirum eſt ſi paululum exſudat, ſtillatq́ue?

ita liberali, pioq́ue ioco hominis petulantiam coercuit, docuitq́; lacrymas ſudorem eſſe, non mœrentis animæ (vt nonnulli voluere) ſed quandoq́ue, & ſæpius à gaudio exultantis. Hil. 10. de Trinit.

Teſtes appello, voloq́ue Martyres, qui ex illo impete, ſacroq́; æſtu geſtientis animæ, ad ſupplicia, ad ignes, ad cruces, ad mille mortes vltro deuolarunt, & in ijs mirum quantum exultarunt.

Fœlicianus acceptâ iam capitali ſententiâ adiecit illud. *O quam iucundos dies annuncias octoginta iam annis expectatos.*

Neſtor Pergæ Epiſcopus, non minus à genere, quam à virtute nobilis, cum in equuleo etiam ad ſpectantium horrorem, lacrymaſq́ue torqueretur; non lamentabili voce,

ſed amœnâ, ſed hilari, & gaudia iam, cœleſteſque delitias ſpirante, dixit. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.*

Cumque ei Præſes ſpecie aliquâ commiſerationis ingeminaret ſæpius illud, vt ſeſe tormentis eximeret, obiecit iſtud dignum cedro.

*Cum Chriſto ſemper fui, & ſum, & ero.*

Ac ne ſola vocibus illis eſſet fides, è cruce pendens ad ſubiectam turbam verba faciebat, fidei plena, atque caritatis.

Eiuſdem animi fuit Euſebius, qui cum neruis diſtraheretur, igne torreretur, plumbatis cęderetur, exciſâ linguâ, trepidantibus ad miraculum tortoribus, orabat.

*Gloria tibi Domine Ieſu Chriſte, qui me dignatus es ſeruis tuis ad gloriam adiungere.*

Nimirum inuictis illis Heroibus pati, morique, & gloriæ fuit, & voluptati.

Ita S. Victor, non nomine tantum, ſed & re etiam ipsâ victor teſtatum voluit, cum enim à tortore, qui neruos equuleo laxarat, etiam ſecretis naturæ partibus feruens oleum infunderetur: quaſi affuſo humore, ſuauique lymphâ ad tyrannum iactauit illud. *O quam ſuaue eſt hoc, ſicut aqua ſitibundo.*

Si quæras vnde illa ſuauitas, illud in æſtu refrigerium etiam contra naturæ vim, ac tormentorum? probè intelliges fluxiſſe ab animo, qui eo loci, ac temporis, omnibus lætitijs inceſſebat, à quibus etiam Petrus, qui Diocletiano à cubiculis, ac ſecretis fuit, in igne, medijſque flammis, quaſi in roſis expirauit. Ac

ne putes eos altioris animę ſpiritus in viros tantũ cecidiſſe, martiumq́; genus: multas videbis è fœmineo, molliq́ue ſexu, quæ etiam vltro in ignes, ac rogos inſilierunt breuioris æui, vitæq́; prodigæ, & ad beatam, nunquamq́ue finiendam æternitatem aſpirantes.

Et hęc pręclara magnarum mentium facinora loquitur omnis ętas, à quibus etiam ad eos venio, quibus lętitiæ, vociſq́ue exultabundæ finẽ ne mors ipſa quidem attulit, à quâ tamen altum ſilere ſolẽt omnia. Atque vt vetera taceam, ad ea delabor quæ quia recentioris ſunt memoriæ lectori beneuolo accident gratiora.

In Orientali Indiâ, quæ hac noſtrâ ætate plurimos Eccleſiæ Martyres parit, ſub annum Chriſti milleſimum

leſimum ſexcenteſimũ vigeſimum octauum terris viuere deſijt & cœlo cœpit inclytus è Societate Ieſu [redacted], P. Rochus Gonzales.

Excoluerat ille ſummâ cum opinione ſanctitatis, & labore ſane magno barbaras illas nationes, à quibus tandem totis ceruicibus ferrum hauſit, & vitam amiſit: ſed quod in eo mireris reſecto iam capite per ipſum cor eloqui auditus, & clarâ, expeditâque voce abire in Dei ſui laudes: truncum erat corpus, ab eoque reuulſum caput illud quod fuerat officina altiſſimarum de Deo cogitationum; muta, atque emortua conticeſcebat lingua; at cor ipſum minimè mutum, & ſilens: ſed ſonorum, & facundum exceſſit in Creatoris ſui laudes, & ignes amoris, quos olim

conceperat, etiam poſt fata emiſit. Adeo liberalis & effuſa Martyrum lætitia, vt etiam poſt fata ſpiret in exanimi corpore; cui affine eſt & illud, quod memorat P. Marcellus Maſtrilli, in ſuâ illa Indica peregrinatione, quam S. Xauerij nutu fœliciter ſuſcepit, atque ex eiuſdem auxilio peregit fœlicius: tandemq; etiam fœliciſſimè concluſit: fuſo Chriſti cauſa ſanguine.

Refert ille duos è Societate Ieſu in Iaponia Martyres, non in ſupplicijs modo, quæ fuerant atrociſſima, ſed etiam poſt mortem hactenus inaudita, & ſtupenda lætitiæ argumenta edidiſſe.

Martyrio affecti diuerſis in locis, diſcreti quidem corpore, non tamen animo: longè enim ante prędixerant tortoribus ſe eadem pariter

ter horâ, è vitâ Dei causâ migraturos: prædictioni reſpondit euentus, non ſine alio, & quidem mirabili prodigio, cum enim corpora ad ſepulturam eundem in locum comportarentur, ad mutuam præſentiam ſeſe ſalutarunt, & collocuta ſunt, perinde ac ſi viua fuiſſent, non ſine ſtupore aſtantium, & amabili cæli prodigio.

Si ex me ſciſciteris, quæ fuerint illa Martyrum colloquia? quæ voces? quę gratulatio? audies eam fuiſſe de gloriâ, ac beatitate, quâ modo fruebantur in cælis fœlices animæ, de tormentorum breuitate, pretioque generoſæ mortis, à quâ ſibi aditum feciſſent in æternitatem. Iactabant nimirum illud quod in vitâ Paulus Gentiùm Apoſtolus.

*Non ſunt condignæ paſſiones huius* 1. Rom. c. 8. v. 18.

*ius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si quotidie,* inquiebat Auguſtinus, *oporteret nos tormenta perferre, ſi gehennam ipſam paruo tempore tolerare, vt Chriſtum videre digni eſſemus venientem in gloriâ, & Sanctorum eius numero ſociari, nonne erat dignũ pati omne quod triſte eſt, vt tanti boni, tantæq́; gloriæ participes haberemur?*

Serm. 2. de Feſto SS. omnium.

In arenam euocat Auguſtinus, *omne quod triſte eſt*: ſeu illud eſſe voles paupertatis anguſtias, & ſordes, ſeu aceruum cumules iniuriarum, ſeu corpuſculi huius afflictiones, morbos, vulnera, ferrum, ignes, cataſtas, cruces, mortemque ipſam per extrema ſupplicia exigēdam: illud, inquam, omne heroicâ mente proritat, deuocatque vt

cum

cum eo certet, qui gloriæ, ac beatitatis fuerit candidatus, audetq́; polliceri, vt hic omnibus illis ſuperior euadat: adeo potentes ſunt ſtimuli gloriæ, ac beatæ æternitatis, quam animo dum legit D. Franciſcus, percitus æſtu quodam voluptatis, exclamat.

*Tanta eſt gloria quam expecto, vt omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis.*

Delectet, inquit Franciſcus, quia animo, cui terra eſt in poſtremis, & cælum in primis curis, volupe eſt pro hoc adipiſcendo quidlibet & agere, & pati.

Hinc ea vota, & piæ querelæ S. Gordiani Centurionis, fortiſſimi Martyris, qui dũ omni propè ſuppliciorum genere cruciaretur, aiebat

bat nihilominus. *Damno ſe affici, quod nō ſæpius mori pro Chriſto poſſet.* Nimirum ei ſatis non erat vel vna vita, ſpirituſque plures optaſſet, vt eos Dei ſui causâ profunderet, & hoc quidem excitatus vel vna ſpe cœleſtis gloriæ; quâ etiam olim vſus eſt opportunè Puſices Medicus vt Ananiam ſenectâ debilem, & ad obiecta tormenta trepidantem animaret, hac vſus oratione. *O ſenex pauliſper oculos claude, & æterna vide.* Claude, inquam, oculos terræ, & huic vniuerſo aſpectabili, & cælis aperi, illique gloriæ, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit: vbi illi præmio, ac laureæ, mentis, atque intelligentiæ oculos recluſeris, in equuleos, in cataſtas, in cruces, in rogos, in mortes ibis: hoc vno bea-

1. Cor. c. 9.

tus,

tus, quod cælo teſte, Deo iudice, ac remuneratore patiaris.

---

## §. II.

*Qui filium, Ciuium ſuorum libertati immolat: næ ille fortis.*

NEque mei conſilij, neque huius exigui operis eſt, vel antiqua commemorare, vel vnum veluti in faſciculum cogere ea fortitudinis exempla, quæ omnis prope ſpectauit ætas, ſed è multis vnum producere, quod quia recentioris eſt memoriæ, Lectori beneuolo gratius accidet.

Aluit Hiſpania deuotum patriæ pectus, Regique ſuo in paucis fidum: is Alfonſus fuit, Cartheiæ Dux fortiſſimus. Eum olim obſederant Mauri, & iam ſæpius qua pollicitationibus, qua minis, qua etiam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN